

XXIV. Atq; hæc sufficient de essentia & causis hydropis in genere, & in specie. Restat ut accedamus ad signa, quæ duplicia sunt; Diagnostica, & Prognostica. Diagnostica rursùm distingui possunt, ratione Generis, Subjecti & Causæ.

XXV. *Signa Diagnostica* ratione *Generis* sunt vel communia, hydropem ipsum demonstrantia, vel propria, differentias ejus distinguentia. *Communia* signa sunt tumor & inflatio corporis, gravitas, fœdus faciei color, difficultas spirandi, cibi fastidium, potationis appetitus partim ex defectu humidi naturalis & nutritii, partim ob diminutam aëcis adductionem, unde cor & pulmo calore magis æstuant; Pigritia adest in motu, pulsus undosi, qui viribus inclinantibus fiunt vermiculantes, ut notat Galenus 2. de pres. ex puls. c. 9. urina pauca. Inter communes etiam notas pedum tumor ab Hippocrate lib. 2. progn. refertur; licet in tympanite non observetur.

XXVI. *Propria* signa, & quidem *Ascitis*, sunt tumor pedum, ventris cum gravitate plurima, superiorum partium macie, & contabescencia; fluctuantis humoris sonus obauditur, cum abdomen impellitur, aut corpus in alterutrum latus provolvitur; ingens spirandi difficultas, ob compressionem septi transversi; urina pauca & rubicunda: Pauca quidem, ut docet Avicenna, quia retinetur, rubicunda verò, quia in jecore non exactè separatur serum à sanguine; morbo crescente scrotum intumescit; pulsus sunt parvi, crebriores, subduri, cum quadam tensione, ut docet Galenus 2. de pres. ex puls.

XXVII. *Tympanites* ut plurimum ventre percussio tympani sonitu manifestatur; tumor tactui non cedit, nec variato corporis situ, ut in Ascite, mutatur; eructatio frequens, cum sensu allevationis; major ventris distensio, minor gravitas; umbilicus aliquando egreditur; membra arefacta & sicca conficiuntur; venter parùm fluctuat, & leve murmur, & quendam veluti rugitum exhibet; pedes ipsis non tument, sed quibusdam velut torminibus circa umbilicum cruciantur, ut videtur etiam indicare Hippocrates 4. aph. 11.